



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 55. Bricomotii, & Cavagnii supplicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A.C. 1572. inscribatur: præterea illius liberi ignobiles, & infames pronuntientur, & indigni, qui publicis muneribus fungantur, aut ullis bonis in Gallia fruuntur, iis, si qua possidere comperiantur, in ærarium publicum redactis. Eodem denique edicto statutum, ut quotannis vigesima quarta Augusti, quæ dies B. Bartholomæo sacra est, solemnes supplicationes ad gratias Deo agendas, & celebrandam illius diei memoriam in universa urbe habeantur, ac divinæ clementiæ laudes persolvantur, eoquod Regem, ejusque Regnum a suorum subditorum conspiratione in ejus personam conflata liberare, illiusque Auctores pro criminis modo plectendi opportunitatem benigne concedere voluerit.

§ LV.

Bricomotii, & Cavagnii supplicium.

Thuan. l. c.
Mezeray
abrege chr.
t. 5. p. 258.

Eadem die contra Bricomotium, & Cavagnium, qui non ita pridem comprehensi fuerant, alia sententia haud minus severa pronuntiabatur. Juxta non nullorum relationem Bricomotius jamjam septuagenarius, cum cetera hujus sententiæ capita patienter excepisset, ad suarum prolium mentionem præ doloris vehementia exclamavit, ecquid illi commeruissent, cur tam severe cum illis ageretur: postea cum ambo diversi ad

Sæcul. XVI.
A.C 1572.

ad anulos ferreos alligati essent, ipse morte territus indigna conditione de vita pacisci voluit, ablegatis ad Regem amicis suis, qui Rupellæ, de cujus obfidione jam fama increbuerat, expugnandæ rationes, si sibi vitæ gratia fieret, se exploratissimas habere renuntiarent: verum hac conditione a Rege repudiata, alia proposita est, vi cujus crimina objecta agnosceret, & conjurationem a Colinio contra Regem initam coram populo fateretur. Ast hanc ille vicissim conditionem, cum se hujus criminis haud reum crederet, acceptare recusabat. interim Cavagnius inter hæc summa constantia defixis in cœlum oculis, preces ex psalmis assidue recitabat, & cum timeret, ne Bricomotius animo linquens magno famæ dispendio breve vitæ tempus redimere vellet, eum constantiæ, quam in belli periculis per tot annos ad hanc diem multa cum laude exhibuisset, memorem esse iussit: quibus verbis generosum virum pudore incusso ad mortis contemptum confirmavit, & ita ambo cratibus impositi ad supplicium rapiuntur, & per carnificem scalis dejecti laqueo suffocantur.

Ad idem patibulum suspendebatur Colinii effigies straminea, cujus ori ad ludibrium dentiscalpii frustulum inferebatur,

Sæcul. XVI. tur, quo Colinius vivus ad purgandos
A. C. 1572. dentes uti solitus erat, & fere semper
 in ore profundissima cogitatione, quasi
 aliud agens, rotabat. Porro hoc Bri-
 comotii & Cavagnii supplicium Rex
 cum Regina parente ex urbis ædibus
 velo fenestræ prætenso conspexit, huic-
 que funesto spectaculo Navarrum Re-
 gem interesse voluit.

§. LVI.

*Inchoata Rupellensis Urbis ex-
pugnatio.*

Thuan. l. 53. Calvinistæ, cum ubique suæ securitati
pag. 846. diffiderent, urbes, in quibus nu-
 mero superiores erant, munire cæpe-
 rant, aliasque Catholicis eripere præ-
 sumebant, imo etiam paucos intra dies
 quamplurima oppida sibi vi vendicabant:
 cum vero Rex præcipue Rupellensem
 civitatem ad obsequium revocare sta-
 tuisset, eo Governatorem ablegabat
 Bironium: ast cædis nuntio apud Bur-
 digallenses eodem tempore patratæ, cui
 seditiosi quorundam Concionatorum
 sermones ansam dedisse dicuntur, ad
 Rupellenses perlato cives novum hunc
 Governatorem recipere renuebant: ita-
 que Bironius horum pertinaciam edo-
 ctus Surgeriis die vigesima sexta Se-
 ptembris ad eos epistolam hujus teno-
 ris perscripsit: „displicet mihi, quod
 „con-